



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

10.  
9

PRO  
CHRISTOPHO  
ROMANLIO  
LVSATIO,

Quartum è patria abeunte.

AMICORVM VOTA,



GORLICII  
Excudebat Ambrosius Fritsch.

ANNO

M. D. LXXIII.



VOTVM  
PRO DOCTISS. CHRIS-  
TOPHORO MANLIO GORLICEN-  
SE IN PANNONIAS ABEVNTI.

**S**ic procul à patria peregrinas ibis in oras,  
Tollit ubi celsum pulcra Vienna caput?  
Et caros linques gressu veloce sodales,  
Manlie, & ab madida fletib. ora tua?  
Oratna, qua nunc celeres sublimis in auras  
Lusatia ingenio crescit amica tuo.  
Ab tenera desertor abis de limine, qua se  
Credidit, & vitam capta, suumq. caput?  
Tum igitur poteris lacrymas perferre puella  
Durus, & heu siccis vates abire genis?  
Fallor, an eductam meliori sidere tecum  
Vis comitem longe & fidus habere via.  
Atq. illam nitide cultam felicib. oris  
Cum visum, patrio sistere deinde solo.  
Sic o fata velint, ut te mea Lusati comitam  
Aspiciam doctis ora, comasq. modis.  
Cui tumeant niveo baccata monilia collo  
Atq. decens corpus murice palla tegat.  
Tum mea se plenis vulgabunt gaudia cartis,  
Et reduci dives, Lusati, dona dabo.  
Dona dabo, lentisq. herens amplexib. arte,  
Da veniam, in collo pressero dente notam.  
Namq. ego sum nitidis comes indefessus ocellis,  
Et mihi sensum omnem pectore forma rapit.  
Sed te felicem talis comitata puella  
Cui comes in longas itq. reditq. vias.  
Illaq. cui totis argutat noctib. ignes  
Et premit amplexu colla petita suo,  
Cui tu, curam & opes, sic sis, impende, decusq.  
Et pater, & coniux, frater & esse velis.

Sis

Sic te rex diuūm, quas tendis, ducat in oras  
Dexter, & ad patrios te ferat inde lares:  
Gloria quem volucris vectum super aethera curris  
Tollat, & eternis fama beata bonis.

*Inter prandendum effundebam  
Joach. Meist. &c.*

ORNATISSIMO DO-  
CTISSIMOQUE IUVENI DN.

CHRISTOPHERO MANLIO AMICO

*suo incomparabili, Viennam discedenti M. Iohannes*

*Schleiferus Seruestanus I. C. & Poëta*

*Laureatus S. D. P.*

**M**Anli candide cui dedit canendi  
Artem pulcer Apollo carminisq;  
Quod feliciter es domum reuersus,  
Plurimum tibi gratulor, sed idem  
Ingenti afficior dolore, rursus  
Quod dulces patria relinquis oras  
Augustamq; petis celer Viennam  
Quæ nostro rigidos Getas ab orbe  
Propellit populo potens & armis.  
Hic duces num cris dies iocisq;  
Fidorum alloquioq; amiculorum  
Quos inter tibi primus & supremus  
Erit CRATO, cui suam in medendo  
Inspirauit Apollo doctus artem:  
Et qui Cæsaris usq; sanitatem  
Curat Poeonys potenter herbis.  
Huic addo Medicum bonumq; Vatem  
Paulum Fabricium, sonante plectro  
Qui condit numeros Tibullianos

A 2 Et

Et doctos inuat ornat usq; vates,  
Lauterbachius optimus Poëta  
Ut testatur, & elegans Elias  
Corvinus modo tecta qui Vienne  
Incolit memorans Ducum triumphos  
Quos clara Austriadum tulit propago:  
Illi mœnia cum subibis urbis  
Multam nomine dic meo salutem,  
Utq; inter lepidos suos amicos  
Me ignotum referat libens precare.  
Hac si parte lucrabor hunc amicum,  
Non optem mihi Cræsi opes, nec aurum  
Quod cultis Arabes legunt in agris.  
Nam dicto citius perit metallum,  
Et quidquid patulo nitet sub orbe:  
Fidus nomen habet perenne amicus.  
Sed ambage quid vtor intricata?  
Non inuideo perire Manli,  
Quo te fata vocant Deusq; nec non  
Schleiferum retine intimis medullis.  
En quanquam procul à meis ocellis  
Fecundissime amice nunc recedis,  
Non loci tamen vlla temporisue  
Internalla mihi tuos lepores,  
Nec mors ipsa adimet, tuus manebo,  
Sensus dum mihi erit superstes vllus.  
Manli candide cui dedit canendi  
Artem pulcer Apollo carminisq;

NIS.

## N I S S V S.

**N**ISSVS ego aëreis Sudetum montibus ortus,  
 Quâ tangit Boium Lusatis ora solum,  
 Hunc quem lactentem fuit mea ripa tenellum,  
 Quiq; puer nostras **M A N L I V S** hausit aquas:  
 Quem **N I V E I M O N T I S** residentes valle sorores  
**A L B I D O S** ad latices erudière nouem:  
 Quem **S P R E A**, quâ falso **S V E V I** sub nomine, radit  
 Lusatie steriles inferioris agros,  
 Quem simul haud vero **V I A D I** cognomine dictus  
**O D E R A**, qui nostras suscipit auctus aquas,  
 Vidit & obstupuit summorum clara virorum  
 Pignora doctrinis instituisse bonis:  
 Hunc ô magne pater, pater alme, binominis **J S T E R**  
 Post plures alios nunc quoq; mitto tibi.  
 At tu quò maior, quò nostris dignior undis  
 Crederis, hoc magis huic fautor & autor eris,  
 Ut iuga Pannonia, **R O M A N I C A E S A R I S** aulam,  
 Arria nobilium lustret, & ora virum:  
 Tum monumenta ducum, positos solenniter arcus,  
 Et quacunq; tui sunt decora alta soli.  
 Sint illi Regni proceres, Dominiq; fauentes,  
 Sospes & illorum plurima noscat ope.  
 Usibus ut rerum varijs, & dotibus auctus  
 Ingenij, redeat cultior inde domum,  
 Ac quæ iam septem totis meditatur ab annis  
 Edere victuris patri gesta libris,  
 Perficiat, fato non aduersante: resurgat  
 Unde vetus regno gloria parta meo.

## DANVVIVS.

**I**lle ego qui quondam celebratus carmine vatuns  
Alluo Casareas, maior honore, domos  
**DANVVIVS** (namq<sup>3</sup> hoc veteri teste monet  
Nomen, Romulidum Casare dante, gero.  
**TRAIANVS** sed enim seuo cum milite **DACOS**  
Fudit, & ad nostras castra locavit aquas,  
Ponte super strato rediens ad mœnia victor  
Argento incidi fecerat hisce notis.)  
Ille ego **DANVVIVS** qui multos ante tuorum  
Conspicuos feci moribus, atq<sup>3</sup> bonis,  
Hunc quoq<sup>3</sup>, quem mittis, susceptum **NISSE** fovebo,  
Optatam quoties poscet, habebit opem.  
Efficiam clarum titulis, ut possit in aula  
Inter honoratos nomen habere viros.  
Forsan & Imperij dominus non aure sinistra  
Ipsius accipiet carmina si qua canet.  
Nec verò procerum regni, fautore **MONARCHA**,  
Aduersum genium sentiet esse sibi.  
En bellis & pace potens **ZEROTINIVS** Heros  
Illius ingenij censor amicus adest.  
Subdet ei natum, generosa puerpera solum  
Quem tulit, ut studijs instruat arte rudem.  
Gloria Musarum, Medicorum gloria promptas  
Ecce manus illi porrigit ipse **CRATO**.  
His ducibus poterit doctrina crescere cultu,  
Et tua maiori facta referre tuba.  
Quod patrias olim rediens benè sospes ad oras,  
Ut prestare queat, Numen adesse velit.

Dn. Christophoro Manlio G. L. in Pannonias  
abeunti : Sebast. Hof. in sui iucundam me-  
moriam F.



# PSALM. CXXI.

## Leuau i oculos meos in MONTES.

**C**VM dubijs mea vita gemit conclusa periclis,  
Et spes humana nulla refulget opis,  
Tunc mea sollicito spectat mens lumine monteis  
De quibus auxiliij spes mihi certa fluit.  
Auxilium DOMINVS rebus mihi prestat in agris  
Qui cælum & terram condidit, atq; fouet.  
Ille tuos placido firmat moderamine gressus,  
Ne ruat ancipiti lubrica planta gradu.  
Qui tua custodit, nescit ludibria somni,  
Qui tua custodit peruigil esse solet.  
Israhel vigili seruat QUI lumine, blandis  
Illecebris somni peruigil vsq; vacat.  
Ille comes lateris nunquam tibi desinit esse,  
Quò bene cedat opus quod tua dextra facit.  
Vrere & vt tectos vmbra non Cynthia ipse  
Luce potest, Phæbe & pungere nocte nequit:  
Sic rectore DEO tua mens erit aqua secundis  
Rebus, & aduersis mens tua sospes erit.  
Nanq; tuis abiget procul agmina cuncta malorum  
Finibus, atq; animam proteget vsq; tuam.  
Quicquid ages, quocunq; tui vestigia pergent  
Ferre pedes, custos hic tibi fortis erit.  
Quàm te felicem comitis presentia tanti  
Reddet, cui rapiant secula nulla fidem.

Cum studio veri simpli-  
citat is amans

Doctiss. & humaniss. viro Dn. Christoph.  
Manlio, &c. proficiscenti Viennam Au-  
striæ, amoris ergò Caspar Iænitijs F. Bu-  
dissinæ.

Anno Saluatoris M. D. LXXIII.



Nov 1996

8

ULB Halle 3  
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M







B.I.G.

Farbkarte #13

PRO  
CHRISTOPHO  
ROMANLIO  
LVSATIO,

10.  
9

Quartum è patria abeunte.  
AMICORVM VOTA.



GORLICII  
Excudebat Ambrosius Fritsch.

ANNO  
M, D, LXXIII.

